

*Doc. 44 (Scriptum est Iustituario
Basilicate devoto suo etc.
Pro parte universitatis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 44 (Scriptum est Iustitiario
Basilicate devoto suo etc.
Pro parte universitatis...)*

1307-07-23

Scriptum est iustitiario Basilicate devoto suo etc.

Pro parte universitatis hominum civitatis nostre Potentie fidelium et devotorum nostrorum oblata coram nobis petitio continebat, quod licet tenimentum civitatis ipsius fuerit divisum seu limitatum a tenimento foreste Lacuspensilis de mandato curie per dominum Iohannem de Monteforte Squillami et Montis Caveosi comitem tunc regni Sicilie camerarium, tamen castellanus Lacuspensilis qui nunc est contra limitationem seu terminationem predictam debitos fines excedit accipiendo animalia exponentium eorumdem in tenimento suo, in eorumdem preiudicium et gravamen. Super quo nostra provisione petita devotioni vestre precipimus quatenus scita veritate de limitatione seu terminatione ipsorum finium non patiamini exponentes eosdem contra limitationem seu terminationem eamdem per predictum castellanum gravari in aliquo vel turbari, mandando castellano predicto sub certa et formidabili pena ab eo si secus fecerit irremissibiliter exigenda, quod desistat omnino a gravaminibus et molestiis supradictis. Ita quod nostra vobis super hoc mandata non oporteat iterari.

Datum in hospitali Montis Virginis per Nicolaum Fricziam de Ravello locumtenentem prothonotarii regni Sicilie. Anno domini MCCCVII die XXIII iulii V indictionis.